


# EPISTULA LEONINA

## CCXXXVIII

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS GRATIS ET SINE ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXVII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**DUCENTESIMAM DUODEQUADRAGESIMAM (238) !**

## ARGUMENTA

<b>PRAEFATIUNCULA</b> .....	02-03
<b>MALUM CONSILIUM QUOD MUTARI NON POTEST</b> .....	04
<b>IN IUBILAEUM ADAMANTINUM PATRIS HERBERTI DOUTEIL BRASILIENSIS</b> .....	05
<b>CHRONOGRAMMA GRATULANDI ROESSLERIANUM</b> .....	06
<b>CHRONOGRAMMATA PATRIS HERBERTI DOUTEIL</b> .....	07-11
<b>CHRONOGRAMMATA ROESSLERIANA</b> .....	12-14
<b>CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA</b> .....	15
<b>EPISTULAE</b> ( <i>Paulus Chiliensis, Carolus Lituanius, Theodericus Sacratius, Naevius Sartorius</i> ).....	16-24
<b>EXERCITIA NUMERALIA</b> .....	25-26
<b>ISOTOPIA QUALIA SINT</b> .....	27-30
<b>FABELLA GRIMMIANA: De cornicibus</b> .....	31-34
<b>HUMBOLDTIANA SEMINARIA INTERRETIALIA</b> .....	35-38
<b>LIBRI LEONIS LATINI</b> .....	39-42

## PRAEFATIUNCULA

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS  
SAL.PL.DIC.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*gaudenter Te invito, ut denuo fruaris lectione Epistulae Leoninae. Hac quoque in Epistulâ Leoninâ habemus delectamenta vehementer varia: Ergo lege symbolas Leoninas: miraberis!*

*Epistula nostra Leonina incipit a proverbio apud **Publilium Syrum** invento: **Malum consilium quod mutari non potest**. Reverâ haud raro fit, ut primum consilium captum cadat in irritum; itaque prudentis hominis est habere consilium alterum aut – sit venia verbo – alternativum. Verum enim vero: malum est consilium, quod expers est consilii alternativi !*


*Multa habemus **chronogrammata**; quae hâc tempore in more sunt Latinê scribentium, similiter ac nonnullis annis ante quidam poetae neolatini studuerunt imitari poemata Iaponica quae appellantur “Haiku”. Sed hac in Epistulâ Leoninâ speciali honore afficiendus est vir pius de arte chronogrammaticâ optimê meritis: **Pater Herbertus Douteil Brasiliensis**, qui ex multis iam annis Leonis Epistulas mirum in modum locupletat opusculis suis artificiosis. Nam îdem Spiritanus nuper celebravit **Iubilaeum suum Sacerdotale Adamantinum**, id est Septuagenarium. In hunc honorem eximium Leo Latinus eidem gratulatur omni qua par est reverentiâ.*

*Praeterea Leo vobis praeparavit nonnulla exercitia numeralia et isotopica legendi et recitandi necnon novam collectionem Epistularum, quam vobis plurimum commendat. Qui commercium litterarum habet cum Paulo Chiliensi, Carolo Lituano, Theoderico Sacrato, Naevio Sartorio. De verbis Latinis confingendis disputamus prolixê; sed etiam aliae materiae tractantur.*

*Duo exempla Latinitatis vivae iucunda his diebus expertus sum: Die Saturno, vespertino tempore audivi acroasin Milenae Minkovae interretialem systemate Zoomiano emissam dilucidam et delectabilem, cui additae sunt nonnullae quaestiones atque adnotationes sodalium Academiae Latinitatis Fovendae, quorum facies in quadro visifico apparuerunt optimê visibiles. Praeter Theodericum Sacré Praesidem et Christianum Laes Vicepraesidem adfuerunt sodales, quos diu non videram, Gaius Licoppe & Francisca Deraedt, Andreas Fritsch, Terentius Thunberg; affectus animorum fuit hilaris, multa didicimus de methodis vivi sermonis Latini docendi Centuccianis. - Heri autem in colloquio Latino interretiali a me sub aegide Centri Studiorum Humboldtiani Ulmensis instituto subito ex improvise apparuerunt Sixtus Keck medicus pensionatus Suebus iam diu oppidi Heide borealis prope Hammaburgum siti incola, et Oscarius Widholm Suetus iam diu Osloâ in urbe Norvegiae principe versans. Uterque est fidelis lector Epistularum Leoninarum, uterque iam scit Latinê loqui. Utinam tales occasiones verba Latina audiendi colloquiaque Latina habendi sint quam plurimae!*

**Medullitus Te salutat  
Dr. Nicolaus Groß**

**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Mercurii, 05. m. Maii a.2021**



# **MALUM CONSILIUM QUOD MUTARI NON POTEST**

**PUBLILIUS SYRUS  
(85-43 a.Chr.n.)**

# **IN IUBILAEUM ADAMANTINUM PATRIS HERBERTI DOUTEIL**



<https://herbertdouteil.de/>

**PATER HERBERTUS DOUTEIL BRASILIENSIS**

**CONGREGATIONIS SANCTI SPIRITUS (CSSp.)  
SACERDOS NECNON ARTIFEX CHRONOGRAMMATUM**

**CUI VIRO PIO ATQUE ARTIFICIOSO  
IN IUBILAEUM SACERDOTALE ADAMANTINUM  
ID EST SEPTUAGENARIUM  
INTIMO EX ANIMO GRATULATUR**



**LEO LATINUS**

# CHRONOGRAMMA GRATULANDI ROESSLERIANUM

PATER HERBERT FEIERT HEUER  
SEIN SECHZIGJÄHRIGES  
PRIESTERJUBILAEUM

VEREHRTER PATER HERBERT  
ICH WUENSCHEN IHNEN VON HERZEN  
ALLES GUTE FUER DIE ZUKUNFT

\* \* \*

SEIT 60 JAHREN  
IST PATER HERBERT PRIESTER  
EIN TREUER DIENER GOTTES  
&  
SEIT JAHRZEHNTE  
IST ER DEN ARMEN EIN GUTER HIRTE

\* \* \*

HERIBERTVS DOVTEIL  
BIS TRIGINTA ANNIS ANTE  
SACERDOS CONSECRATVS

PATRI VENERABILI  
VIRO ERUDITO  
ATQVE  
PASTORI BENIGNO  
GRATULATUR  
TOBIAS EQVITARIVS

MMXXI

# CHRONOGRAMMATA PATRIS HERBERTI DOUTEIL



Fresko mit dem Bild des Heiligen in der Heilig-Herz-Basilika in Zagreb

## Zum 27. April, dem Fest des heiligen Petrus Canisius:

2021\* PetrVs CanIsIVs presbYter SoCIetatIs IesV DoCtor VerVs atqVe Defensor pertInaX LVCIIs VerItatIs fIDeI In patrIa nostra fVIit. – Petrus Canisius, der Priester der Gesellschaft Jesu war ein wahrhaftiger Lehrer und beharrlicher Verteidiger des Lichtes der Wahrheit des Glaubens in unserer Heimat. – Petrus Canisius SJ., 1521 – 21.12.1597 – Verfasser von drei Katechismen, wohl der bedeutendste Vertreter der Gegenreformation in Deutschland, wo sein Gedenktag am heutigen Tag begangen wird, in der Weltkirche am 21. Dezember, dem Tag seines Todes.

## Zum 29. April, dem Fest der heiligen Jungfrau und Kirchenlehrerin Katharina von Siena:

2021\* eIa, sanCta CatarIna senensIs, VIrgo pIa et sapIens et fortIs eXpVgnatrIX \* rIXae et MagIstra, ora rIte pro VnItate eCCLESIAe VnIVs, sanCtae, CathoLICae et apostoLICae In paCe et CarItate. – Wohlan, heilige Katharina von Siena, fromme und weise Jungfrau und starke Überwinderin \* von Streit und Kirchenlehrerin \*\*, bete gebührend für die Einheit der einen, heiligen, katholischen und apostolischen Kirche in Frieden und Liebe. - \* expugnatrix abgeleitete weibliche Form von expugnator = Bezwinger, Überwinder - in



diesem Fall des Schismas in der Kirche und der vielen Streitigkeiten innerhalb der Städte und unter den Parteien in Siena und anderen Stadtstaaten ihrer Zeit -  
 \*\* von Paul VI. 1970 zur Kirchenlehrerin und 1999 von Johannes Paul II. gemeinsam mit Brigitte von Schweden zur Mitpatronin Europas ernannt

### Zum 01. Mai:



Monatsbild im Breviarium Grimani, Brügge, ca. 1515

2021\* **MaIVs VenIt nobIs a VI MaIae terrestrIs.** –  
 Mai kommt uns von der Kraft der Erdmutter Maia. - – vgl. Durandus, Rationale VIII,4,7



2021\* **MaIVs MensIs pVrae et pIae VIrgInIs** – Der Mai ist der Monat der reinen und gütigen Jungfrau.



Mathis Grünewald, Kreuzigungstafel vom Isenheimer Altar

Zum 1. Mai, dem **Fest des heiligen Josef, des Patrons der Arbeiter:**

2021\* **saLVe, Ioseph VIVens opIfeX seDVLe, DeI genetrICIs CVstos Integer et VeraX, filII DeI nVtrICIE Intente, ora pro totIs nobIs.** - Sei begrüßt, Josef, du im Leben fleißiger Arbeiter, keuscher, weiser und wahrheitsliebender Schützer der Mutter Gottes, aufmerksamer Pflegevater des Sohnes Gottes, bitte für uns alle!



Neupriester, Ulrich von Lilienfeld., »Concordantiae Caritatis«, Codex Campilliensis 151  
(um 1355), fol. 231v

### Zum 1. Mai, dem 60. Jahrestag meiner Priesterweihe:

2021\* tV aVteM seqVere Me sIgnIfer regIs nostrI pII - Du aber folge mir als Bannerträger unseres milden Königs. – vgl. Joh 21,22

### Zum 3. Mai, dem Fest des Apostels Philippus:

2021\* IesVs qVaerIt: PhILippe Care, nonne CreDIIs qVIa ego In Patre atqVe Pater In Me? ego ero VIa VerItas et VIta CVnCTIs In pietate VIVentIbVs. – Jesus fragt: „Mein werter Philippus, glaubst du nicht, dass ich im Vater bin und der Vater in mir ist? Ich werde der Weg der Wahrheit und das Leben für alle sein, die in Gottesfurcht leben“ – vgl. Jo 14, 3.5

Zum 2.Mai, dem **Fünften Ostersonntag:**



Quintin Massys, 1465/66 – 1550, Notgottes, linke Seite eines Diptychons, Alte Pinakothek, München, Foto Hildegard Schuhmann

2021\* **I**es**V**s **C**hr**I**st**V**s pat**I**ens **C**r**V**CI aff**I**X**V**s est nob**I**s tot**I**s **L**V**X** atq**V**e **V**era eff**I**g**I**es p**I**ae **M**iser**I**Cor**D**iae Tr**I**n**I**tat**I**s. - Jesus Christus, der am Kreuz angenagelt leidet, ist für uns alle ein Licht und ein wahres Abbild der gütigen Barmherzigkeit der Dreifaltigkeit.

**Zum 3. Mai, dem Fest des Apostels Jakobus, der Sohn des Alphäus:**

2021\* **I**a**C**ob**V**s, frater **I**es**V** **I**VD**I**Cabat **I**n **C**on**C**IL**I**o: sentent**I**a **M**ea er**I**t non **I**nq**V**Ietar**I** **V**ere fratres **I**stos, q**V**e **X** gent**I**b**V**s **V**en**I**Vnt. – Jakobus, der Bruder Jesu, gab folgende Meinung auf dem Konzil von sich: „Meiner Meinung nach sollen diesen Brüdern, die aus den Heiden kommen, wirklich keine Lasten auferlegt werden“. – vgl. Apg 15,19



# CHRONOGRAMMATA ROESSLERIANA

## Ferdinand Magellan

portugiesisch Fernão de Magalhães  
spanisch Fernando de Magallanes  
deutsch auch Fernando Magellan

\* vor 1485 vermutl. in Vila Nova de Gaia, Königreich Portugal  
† 27. April 1521 auf Mactan, Philippinen



FERNÃO DE MAGALHÃES

VIR LVSITANVS

EXPLORATOR AC NAVTA PRAECLARVS

QVINGENTIS ANNIS ANTE


IN PHILIPPINIS EX VITA EGRESSVS

MMXXI

# Ludwig Wittgenstein

\* 26. April 1889 in Wien

† 29. April 1951 in Cambridge



**LVD**OVICVS **WIT**TGENSTEIN

**PHI**LOSOPHVS **INCL**VTVS

**SEPT**VAGINTA ANNIS ANTE

**III** KAL. **MAI**AS **OB**IIT

**AETAT**IS **SVAE** **LXII**

\* \* \*

**LVD**OVICVS **WIT**TGENSTEIN

**AV**CTOR **TRAC**TATVS **LOG**ICO-**PHI**LOSOPHICI **INCL**YTI

**SEPT**VAGINTA ANNIS ANTE **DE** **VITA** **DE**CESSIT


**AETAT**IS **LXII**

**MMXXI**

## Peter Huchel

\* 3. April 1903 in Lichterfelde bei Berlin

† 30. April 1981 in Staufen



**QVINQVIES OCTO ANNIS ANTE**

**PRIDIE KAL. MAIAS**

**INSIGNIS POETA TEVTONICVS**

**OBIIT**

**AETATIS LXXVIII**

**MMXXI**



# CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA

Nächtliche Grüße!

*Chronogramm am 28. April 2021*

MICHAEL COLLINS ASTRONAVTA NEGLECTVS HODIE  
OBIIIT NONAGINTA ANNOS NATVS

Michael Collins, der vergessene Astronaut, ist heute gestorben, 90 Jahre alt.

*hdf*

Zum gegebenen Anlass! Gruß!

*VORSICHT! LATEIN!*

*Chronogrammatischer Memoriertext für auf der Pandemie-Bühne Schauspielende*

VENTOS FLECTERE NON POSSVM AT TOLERANTER SPECTARE ET VELA  
CONSVLTO EIS DARE

Winde kann ich nicht umlenken, aber geduldig beobachten und Segel mit Bedacht setzen.

*hdf*

## ECHUS VOCES EPISTULAE

Sun, 25 Apr 2021 23:58:57 -0400

Paulus Kangiser Chiliensis.

**Paulus Nicolao s.p.d.**

Valde me iuvarunt explanationes tuae de biocolyitis deque astyphylacibus et astynomis. In brevis historia de die 11<sup>o</sup> sept. anni 1973, quam scribo, intersunt sclopetarii (Hisp.carabineros, Italice carabinieri), sed velim eosdem interdum, ex narrationis contextu, vocare vel astyphylaces vel astynomos; iam vero ut uno verbo hos omnes amplecterer, dicerem Corpus Sclopetariorum vel Astyphylacum.

Nec mihi displicet “biocolyta”; quamquam, ut dicis, sensum huius verbi ex vetere aevo in nostrum per vim extendimus, tamen opinor id accidisse multis verbis antiquis quibus nunc utimur; vel fenestra, quae valde differt nostra ab illa antiqua; nunc habemus in fenestris vitra, quae veteres nesciverunt; fenestrae hodiernae sunt paene instar parietis, illae parvae nec ad viam apertae nam domus lucem accipiebat ex impluvio; itaque cum hodie dicimus “fenestra” valde extendimus sensum sicut novi Procrustae; obiter domus antiqua non est eadem ac hodierna at in utraque nominanda eodem verbo utimur; quid dicam de culina antiqua et hodierna? Illa flammam habebat ex lignis (en Horatium, Sat. I, v, 73-74), nostra calorem ex gaso vel electricitate. Quid de medicina et medicis? Valde differunt a nostris et tamen eodem verbo utimur, et ita porro. Sed concedo tibi - ut dicis - biocolytas brevem vitam apud Justinianum habuisse; leges novellae Graece scriptae mihi omnino desunt. Linguam Graecam unum annum in universitate didici, praesertim ad ethymologias Hispanas ordinatam, quod quidem non sufficit ad linguam pernoscendam.

In ictu militari diei 11 m. Sept. a.1973, qui praesidem marxianum de gubernio deiecit, interfuerunt milites et classarii et aericlassarii et sclopetarii vel astynomi, et eorum summi duces vel summi generales, qui suas copias totas imperant; “archiastynomus” forsitan possim dicere eum qui sclopetarios regit. Non facile hanc rem enodabo, sc. gradus militares, classarios et reliquos ab re Chiliensi in Latinum conversos.

Chilianus quidem sum; sed quoniam est in Chiliae parte meridionali oppidum vulgo Chillán nominatum, quod Latine Chilianum vocatur

(C. Egger, Supplementum) facile confusio oriri potest et malo igitur Chiliensem vocari, ut olim Pater Eichenseer dixerat.

Ut supra dixi, multum me iuvat de his rebus tecum sententias commutare et spero te, sodalis Germane, non molestas iudicare.

Cura ut valeas in omnibus rebus. Accepi Epistolam Leoninam 237 quam nondum lego.

**Nicolaus Paulo Chiliensi Sodali Optimo sal.pl.dic.**

Minimê me molestasti, care Paule, immo me adiuvistis considerationibus tuis lexicographicis et logopoeticis. Liberê confiteor me modum excessisse eo quod dicerem usum verbi *biocolytae* modernum esse Procrusteam; ipse hęc verbo per plura decennia adhibueram sensu moderno. Nullo modo velim tibi interdicare, ne utaris hęc nomine – sit libertas Latinê scribentibus! At mihi ipsi interim hoc vocabulum minus aptum videtur ad notionem modernam (“*policia*”) significandam. Est valdê rarum; non fuit in usu nisi sub Iustiniano primo. Ceterum prima pars huius verbi a plerisque falso intellegitur; qui eandem non derivant a verbo graeco “ἡ βία i.q. vis, violentia”, sed per errorem a verbo «ὁ βίος», i.e. “vita”, quia hodierno tempore permulta nomina in more sunt maximêque placent, quae habent hoc verbum partem priorem (spectant ad oecologiam - an dicam ad \*oecomaniam?).

Ceterum oblītus sum tibi indicare nomen, q.e. *astynomus*, reverâ esse antiquum et iam antiquitus habere vim desideratam:

cfr Liddell-Scott, Greek-English Lexicon, p.264, s.v. ἀστυ-νόμος II.

As Subst.: “**a magistrate who had the care of the police**, streets, and public buildings of Athens, ISAEUS ORATOR 1,15; DEMOSTHENES ORATOR 24,112; ARISTOTELES Atheniensium res publica 50,1.”

Haec hactenus, mox, si volueris, plura. Vale et plurimâ lectione Latinâ frui et vive feliciter. Medullitus te salutatur Nicolaus Leo Latinus.

d.10. m.Apr. a.2021, h.20.46.

**Nicolaus GROSS Carolo Lyvens Lituano sodali suo**

Sal.pl.dic. S.V.B.E.E.V.

Iam diu, care Carole, nihil a te et de te audivi nihilque lêgi. Quid fit, quid agitur? Utinam bene valeas et animâ et corpore. Tempora nunc nobis omnibus sunt aliquatenus difficilia et incerta; sed nos studia humaniora amplexi solacium semper habemus - nonne tu, qui est iuvenis sagax et florens, nonne semper es bonae spei?

En capitulum Orbis Picti Hexaglotti, c.t.: VESTITUS.

Antepaenultimum capitulum sunt ACCESSORIA, paenultimum capitulum est ARS (spectat ad architecturam, artes fabriles, musicam). Ultimum capitulum COMMUNICATIO. Haec tria capitula iam ante nonnullos annos tractavi secundum editionem lexici Quebecensis priorem; nunc restant quaedam augmenta (nam prius lexicon habet notiones 35.000, recentior editio, quâ nunc utor, habet 40.000).

Vocabulis collectis et inventis restat altera pars laboris, i.e. compositio alterius tomi operis: testimonia et interpretamenta Latina indicanda.

In huius operis prolixo indicibus et textibus meis relegendis quidquid suspiciosum et mendosum inveneris, de hâc me certiore facias plurimum te rogo, care Carole. Scilicet corrigam corrigenda, suppleam supplenda, tollam tollenda. Nam errare humanum est, sed inhumanum in errore perseverare.

Haec hactenus, mox certê plura - si quid responsi a te accepero - sive Latinum sive Lituanicum - plurimum gaudebo.

Utinam sint tibi multae occasiunculae fructuosae verba Latina legendi et ratione philologâ philosophâque considerandi.

Medullitus te salutat

Nicolaus.

Tue, 27 Apr 2021 01:18:16 +0300

**Carolus Nicolao humanissimo patientissimo salutem plurimam**

Amice, ignoscas quod nulli epistularum tuarum per tantum tempus respondi, adeo ut iam de salute mea sollicitari coeperis. Ut verum fatear, nullam bonam excusationem habeo. Sane, tempus fugit, procrastinare soleo labores quos sentio esse aggrediendos (quamquam iucundissimi sint!), terret quidem maxime admirabilis copia paginarum abs Te mihi missarum et cetera huius farinae – sed quis crederet? nonne omnes similia adducere possimus ni pudeat? Sed

verum est. Multi mali mores oriuntur ex talibus consuetudinibus, commercia sine causā languescunt.

Gratias Tibi ago pro omnibus voluminibus lexicographicis necnon pro epistulis Leoninis rite allatis! Modo inspexi nonnulla capitula tua. Opus ingens doctissime accuratissimeque dispositum, admiror. En nonnullas animadversiones.

Non multum placet boto, onis in quod adhibere soles – hoc vocabulum serae antiquitatis vel potius magis mediaevale (en quod dicit Lexicon Oxonianum Anglicitatis s. v. button: a. OF. *boton* (mod.F. *bouton*) bud, knob, button; a common Romanic word = Pr., Sp. *boton*, Pg. *botão*, It. *bottone*:—late L. *\*bottōn-em*, app. connected with late L. *\*bottare*, *buttare*, to thrust, put forth (whence OF. *boter*, F. *bouter*, Sp. *botar*, It. *bottare*); the ultimate etymology is commonly supposed to be Teutonic; for conjectures see Diez, Scheler, Littré.) statim oculos Latinos offendit, praebet saporem barbaricum. Puto *pulsabulum*, *in* iam satis acceptum esse a Latinis hodiernis ut adhiberi possit.

*Lūsūs \*magnēoscopicī* non tam bene rem describunt – taeniae magnetoscopicae pertinent ad VHS (rem iam dudum obsoletam!) propter magnetismum quo nituntur ipsae taeniae, neque ad visionem quae est medulla totius rei. Fortasse sufficit dicere esse *lūsūs computātrālēs*, fortasse brevior quaedam locutio est quaerenda. „*DVD player*“ „*lēctrum digitālis discī magnēoscopicī*“ similiter peccat – luce enim neque vi magneticā hi disci inscribuntur. CD *discus compactus* plus minusve bene se habet, sed an DVD sit vertendum, nescio. *Discus visificus digitalis* (Digital Video Disk)? *Discus varius/vniversalis digitalis* (Digital Versatile Disk – Vicipaedia Latina utitur „versatili“)?

Vestium peritissimus non sum, sed velim aliquid proponere de illa veste quae *Socke* Germanice et *kojinė* Lituanice dicitur, Tu autem Latine *impilium* dicis. Mihi est consuetudo illam dicere *tibiale*, *is n* si est longa, *pedule*, *is n* si est brevis. Memini me illud *pedule* primum vidisse apud Iohannem Brunensem (<http://www.litteraelatinae.eu/wp-content/uploads/Testimonia.pdf>). En inveni mihi alium fontem qui explicat discrimen inter illa duo vocabula:

<https://books.google.lt/books?id=WvVcAAAACAAJ&pg=PA433&lpg=PA433&dq=pedule+tibiale> . Lexica Latina talem locum Ulpiani Digestis affert: *fasciae crurales pedulesque et inpilia vestis loco sunt*. Vocabulum placet, quia statim est perspicuum illud pertinere ad pedes vestiendos. *Impilium* fortasse ad pedulia densa et frigora bene arcentia nominanda adhibeatur? Alibi soles etiam *socum* adhibere, quod vocabulum est origo illius *sock* hodierni, sed antiquitus non illam rem significabat – fortasse idem dici possit de *impilio*, sed *soccus* est vocabulum saepius adhibitum et cum comoediis coniunctum, ergo fortasse non est sensu hoc novo ditandum.

Ad T-shirt fortasse sufficit „tunica, ae f“ neque oportet utamur „*camisiā T-formī*“? T-formam habent omnes tunicae cum brevibus manicis. Praeterea est res tam vulgaris, ut simplice nomine vocari mereatur.

An Latini fautores hodierni fautori sint vocabulo „*disportus, ūs m*“, dubito – illud vocabulum prima quidem specie laedit aurem Latinam sicut *boto*. Sane est notio quaedam quae ad otium, rem athleticam (quae initio non nisi genus otii putabatur), animum relaxandum recreandum pertinet – animus dis-portatur, dis-trahitur, dis-tenditur, hoc est, abstrahitur a negotiis. Sed illa notio subtilis atque multiformis manet solā in linguā Anglicā. Ceteris in linguis illud vocabulum significat res quae pertinent vel ad corpus exercendum vel de quibus certamina fieri possunt. Nonne etiam res athletica originem suam trahit ex athlo, scil. praemio? Ergo fortasse sufficit? Nescio. Video Te usum esse athleticis in aliis capitulis designandis, cur opus fuit alio titulo in ultimo?

Hac in epistolā afferre soleo argumenta quae ad speciem vocabuli pertinent, fortasse hoc videri potest esse minime serium et ponendum extra fines glottologiae. Tamen puto esse rem magni momenti – homines re modo auditā solent vocabula diiudicare et illa aut accipere, aut reiicere. Ergo *boto* statim risum movet, quia videtur esse rectā viā ex Anglicā desumptum; idem de *disportu*, quia videtur esse Anglicum vocabulum neglegenter Latine redditum. Ut vocabulo Russico (?) utar, *chaltūrae* speciem praebere possunt Latinis hodiernis, quia illi (sicut Latini omnium fere aetatum!) solent puritatem quandam aestimare.

Haec pauca in praesenti, tantum rem lexicographicam adhumbravi hac



in epistulā. Sed iam scis me vivere et bene valere. Spero etiam Te bene valere. Commercium perpetuum servabimus. Fac quam optime valeas! In proximum!

**Nicolaus Carolo Lituano sodali desideratissimo  
feliciter reperto sal.pl.dic.**

Plurimas gratias tibi ago, quod nunc tandem respondisti; quo animus meus factus est tranquillus. Nam sollicitatus eram silentio tuo pertinacissimo. Primo putaram te aegrê tulisse vastam molem vocabulorum tibi missam; deinde reverâ timui, ne quid tibi mali accidisset. Decet te sinceritas, quâ evitas excusatiunculas. Liberê confiteor me quoque interdum quadam acediâ correptum pigriorem esse quam ut epistulis respondeam. Ergo caelum nubilosum nunc nobis disserenavit.

Quod attinet ad vocabula aestimanda, multa bona et utilia mihi proponis, ex quibus intellego, quantâ sis scientiâ atque subtilitate. Magnas gratias tibi ago pro explicatione technicâ, quae spectat ad verbi “*video*” translationem. Reverâ verbum novatum “*magneto-scopicus*” iam est obsoletum, quia spectat ad taenias illas visificas obsoletas. Etiam ea, quae mihi dicis de *camisiis* et *impiliis* sive potius *pedulibus* et locis testibus confirmas, mihi videntur laudabilia. Verissimê dicis nomen *socci* antiquum non quadrare ad rem denominandam.

Quod attinet ad *botonem* et *disportum*, placet mihi tuus amor puritatis sermonis – tamen videris in puritate amandâ modum paululo excedere. Nos Latinitatis vivae defensores paucas tantum voces solemus adhibere mediaevales. Sed nonnullae earum sunt valdê utiles neque aspernandae, quamquam interdum non derivatae sunt more Ciceroniano. Si appellamus res typicê mediaevales – e.g. notiones, quae spectant ad structuram ecclesiarum et burgorum et ad vestimenta et arma equitum mediaevalium, oportet servemus terminos technicos mediaevales, quamvis interdum sint barbasculê confictae. Nam non solum puritas est petenda, sed etiam fidelitas historica. Nimis artificiales viderentur equites mediaevales togâ Romanâ induti.

«*Boto*» certê non est verbum aureae Latinitatis neque invenitur in Ciceronis orationibus – tamen in litteris mediaevalibus (v. Ducange)

et neolatinis saepius invenitur et utile est ad quasdam res recentiores exprimendas.

Rectê affers «*pulsabulum*» - quod ferê idem est ac «*plectrum*» ac etiam saepe utile est (variatio delectat). Velim distinguere «*botones*» (res magis rotundas et crassiusculas) et «*plectra*» vel «*pulsabula*» (magis plana et angularia). In sermone theodisco adhibentur hōc sensu «*Knopf*» et «*Taste*» ad pulsabula technica denominanda. Sed ut verum confitear, haec distinctio etiam a technicis non semper sat subtiliter servatur.

«*Disportus*» tibi etiam barbarismus esse videtur. Certê non derivata est haec vox more Caesaris et Ciceronis; tamen mihi necessarium esse videtur non solum verbum «*athletica*», sed etiam «*disportus*». Verbi gratiâ oribasias (montium ascensio) et hamatio piscium et venatio sunt disportûs, sed non *athletica*, quia non solent spectare ad certamina.

Itaque velim utrumque verbum adhibere, sed vario sensu. Oportet enim nos *Latinophili* (sit venia verbo) sermone amatissimo utamur satis distinctê, a barbariâ Procrusteâ remotissimi.

Haec hactenus; mox, si volueris, plura. Semper libentissimê tecum disputabo de verbis fingendis et inveniendis. Nam vidi te esse talium rerum tam peritum tamque amantem, ut nos iisdem tractandis vicissim discamus unus ex altero. Itaque bene spero colloquia nostra epistularia factum iri fructuosissima.

Vale pancraticê, mi care Carole, et plurimâ lectione Latinâ perfructus vive felicissimê. Medullitus te salutatur Nicolaus Leo Latinus.

Op 2 mei 2021 om 21:07 heeft SPQR <[SPQR@leolatinus.com](mailto:SPQR@leolatinus.com)> het volgende geschreven:

**Nicolaus Praesidi Academiae Latinitati Fovendae sal.pl.dic.**

s.v.b.e.e.v.

Multum mihi placuit hesternae conferentiae zoomiana, placuit acroasis Milenae, placuit etiam colloquium sodalium familiare. Iam gaudenter exspecto proximam emissionem huiusmodi. In appendice, optime Theoderice, invenies multa vocabula, quae spectant ad artes bellas et fabriles. Utinam vaces iisdem aspiciendis et perquirendis, utinam tibi placeant. Scribas mihi de iisdem vocibus quidquid tibi in buccam venerit aut corrigendum aut supplendum. Haec hactenus brevissimê,

mox certê plura. Utinam fruaris bonâ valetudine. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

**Theodericus Nicolao s.d.p.** Mihi quoque oratio nudius tertius habita arrisit valde, cum quod argumentum ipsum, quod Milena tractavit, erat cognitu dignum - incepta enim Terentii et Milenae sunt singularia et vehementer laudanda -, tum quod loquendi et dicendi genere est usa eo, quod auditores facile assequerentur omnes. Delectavere etiam colloquiola ea paene familiaria in rete omnium gentium habita, quae commodius institui potuerunt quod participum grex non erat nimius: quo enim plures simul adsunt, eo saepius fit ut pudor quasi quidam facultatem libere loquendi hominibus adimat. Ceterum industriam istam lexicalem tibi gratulor iterumque iterumque et pro verborum strue ad artes relatorum, quam mihi modo misisti, gratias tibi ago maximas! Ipsam quoque excudendam curabo, ut perlegam meo commodo. Heu quot iam paginae tuae in museoli mei mensa iacent legendae, prae otii penuria nondum lectae! Cura ut quam optime valeas!

**Naevius Nicolao s.,**

care amice, ut vales? Modo legi haec:

<https://www.tichyseinblick.de/daili-es-sentials/bundesregierung-will-aufhebung-von-grundrechtseinschraenkungen-an-die-impfung-knuepfen/>

Timeo ne discriminatio eiusmodi initium nunc capiat. Etsi de iure fortasse licet discernere, tamen multi homines discriminationem cottidianam mox experientur. Libertas nostra, libertas hominum dubitant(i)um de vaccinatione et nolentium vaccinari in periculo est. Quid sentis? Vale bene.

**Nicolaus Naevio s.**

Vaccinatio coronaria ubiquitaria est ingens scelus. Mox vaccinabuntur etiam homines auxilii inopes, qui se defendere non possunt, quales sunt infantes et manci (mente et corpore debiles) et homines habitaculi expertes. Incredibile dictu! Damna multo graviora sunt quam utilitas. Iam nunc multo plures iuvenes astrazenecano vaccino vaccinati mortui sunt thrombosi cerebrali quam senes decrepiti sunt servati ab infectione coronae. Reverâ non agitur de vaccinatione, minimê agitur de valetudine nostrâ servandâ, sed de massali experimento genetico et psychologico. Haec vaccinatio est etiam proba intelligentiae: quam

plerique homines non superant. Cives gerunt personas cuniculorum experimentalium sive rattorum laboratorii. Istius pseudopandemiae auctores in animo habent genus humanum deminuere. Hoc inceptum student ad effectum adducere - sine ullâ veniâ, sine ullo scrupulo. Novistine commissionem coronariam? Ibi *Volfgangus Wodarg* fusê explicat rem horrendam. O tempora, o mores! Habemus euthanasiam illam de quâ *Alfredus Rosimontanus* (auctor *Mythi saeculi XX.*) necnon *Iosephus Copiolus* (medicaster iste Osviecimiensis) somniaverunt. Scepticê te salutat N.

### **Naevius Nicolao s.**

gratias magnas tibi ago. Tu non ignoras etiam me dubitare de vaccinatione utilitateque eius. Sed nescio an non consilium occultum sit; nescio an non auctores pandemiae putativae sint in animo habentes genus humanum deminuere.

Profecto, cottidie possumus videre avaritiam summam, ignorantiam, oppressionem civium dubitantium de cursu officiali coronario, sed in dubio pono an non auctores sinistri - quasi post frontem institutionum officialium rei publicae - negotia sua horribilia agant.

Heri legi sententiam illius *Sieferle* (*Finis Germania*, p 13; liber tibi est) quae mihi apta esse videtur:

*"Die sozialen Systeme werden anthropomorph versimpelt in der Weise, dass sie als Ergebnis eines moralisch bewertbaren, intentionalen Handelns erscheinen. Schließlich sollen sogar für historische Großereignisse reale Akteure dingfest gemacht werden, die die "Schuld" für diese Ereignisse auf sich zu nehmen haben. "Geschichte" erscheint ganz archaisch als Heldenepos mit Bösewichten, Opportunisten und Heiligen."*

Etiam confiteri debeo: Veritatem nescio, eam non possum cognoscere.

Adhuc sedemus in spelunca Platonis ...

Vale bene

**NULLA DIES SINE LINEA !**

**EPISTULAS  
COLLEGIT**



**LEO LATINUS**

## EXERCITIA NUMERALIA

### *Recita sententias sequentes!*

1. C. I. Caesar natus est a.100 a.Chr.n.; mortuus est a.44 a.Chr.n.  
Mortuus est aetate 56 annorum.

2. M.T. Cicero natus est a.106 a.Chr.n.; Antonio imperante interfectus  
est a.43 a.Chr.n.  
Mortuus est aetate 63 annorum.

3. Varnerius Carolus Heisenberg natus est d.5.m.Dec. a. 1901  
Herbipoli, mortuus d.1. m.Febr. a.1976 Monaci Bavarorum. Idem  
investigator ingeniosus a.1927 publicavit illustrissimam illam  
relationem incertitudinis, quae secundum nomen eiusdem appellata est  
relatio incertitudinis Heisenbergiana.

4. Columbus a.1492 tribus navibus suis, quibus nomina fuerunt Santa  
Maria et Pinta et Nina, pervenit ad Insulam Sancti Salvatoris, quae  
spectat ad Americam terram continentem.

5. A.1789 incohata est Revolutio Francogallica eo, quod plebs  
impetum fecit in custodiam regale, cui nomen fuit „*Bastille*“.

6. Maria Antoniola filia regis cum esset muliercula vitae subditorum  
prorsus imperita, civibus panem postulantibus dicitur stupefacta  
quaesivisse: „Si illi carent pane, quidni comedunt placentam?“

7. Hannibal cum a.216 a.Chr.n. Romanos proelio Cannensi funditus  
devicisset, tamen Romam non invasit; itaque Maharbal praefectus  
equitum spe deceptus exclamavit: „Vincere scis, Hannibal, victoria uti  
nescis.“

8. Ab a.1914 usque ad a.1918, i.e. per 4 annos, gestum est bellum  
mundanum I.

9. Alterum bellum mundanum gestum est ab a.1939 usque ad annum

1945; idem gestum est per 6 annos.

10. Quotus dies hodie est?

11. Qui dies septimanae hodie est?


12. Quo die est Vigilia Domini?

13. Quo die homines annum celebrant ineuntem?

14. Quando tu natus/-a es?



## ISOTOPIA QUALIA SINT




Systema elementorum periodicum inventum est a **Demetrio Mendelejev** et **Lotharus Meyer**.

Atomus hydrogenii solita, quae est simplicissima omnium, habet nucleum unius protonii. Itaque eius numerus ordinalis est primus. Sed sunt varietates huius atomi raras, quae in nucleo praeter protonium etiam unum aut duo neutronia habent. Talis varietas elementi, quae habet plura neutronia quam forma solita, appellatur **isotopium**. Quod nomen derivatum est e verbis graecis quae sunt „isos“, i.e. „aequalis“ et „topos“, i.e. locus. Varietates elementi, quae habent plura neutronia quam forma elementi solita, dicuntur isotopia, quia in eodem loco systematis periodici sunt ac forma elementi solita. Nam quia eorum numerus protoniorum est idem ac numerus protoniorum formae elementi solitae, numerus ordinalis isotopii non est alius ac numerus ordinalis formae elementi solitae.

**Hydrogenium** habet duo isotopia: deuterium sive hydrogenium ponderosum, quod habet unum neutronium, et tritium sive hydrogenium superponderosum, quod habet duo neutronia.

Atomus **carbonei** solita in nucleo habet sex protonia et sex neutronia. Nucleus autem circumrotatur a sex electroniis. Numerus ordinalis huius elementi est sextus, quia nucleus eiusdem atomicus habet sex protonia. Massa atomica huius carbonei communis est duodecim, quia nucleus continet duodecim particulas, quae sunt sex protonia et sex neutronia. Sunt autem duo isotopia carbonei. Quorum unum non

habet duodecim, sed tredecim, alterum quattuordecim particulas nucleares. Quae formae carbonei habent aut unum aut duo neutronia additicia. Eadem isotopia appellantur carboneum tredenarium et quattuordenarium. Forma carbonei solita est carboneum duodenarium.



Isotopium carbonei, quod appellatur quattuordenarium, est radioactivum. Idem adhibetur ad aetatem substantiarum organicarum determinandam.

## QUAESTIONES ISOTOPICAE ET ALIAE CHEMICO-PHYSICAE

1. Quis invênit Systema Elementorum Periodicum?
2. Quot protonia habet atomus hydrogenii?
3. Quid est isotopium?
4. Ex quibus verbis graecis compositum est nomen isotopiorum?
5. Quid valent haec verba graeca?
6. Quo sensu varia isotopia eiusdem elementi sunt in eodem loco?
7. Quae isotopia habet hydrogenium?
8. Atomi moleculae aquae/ carbonei dioxydati/ acidi sulfurici quot sunt et quorum elementorum sunt?
9. Qui est numerus ordinalis carbonei?
10. Quam massam atomicam habet carboneum duodenarium?
11. Massa atomica hydrogenii indicatur 1,008 (unum – virgula zero – zero – octo), carbonei indicatur esse 12,011 (duodecim – virgula – zero – unum – unum), massa chlori indicatur 35,45 (triginta quinque – virgula – quattuor quinque). Quare massae atomicae non indicantur numeris integris (*in ganzen Zahlen*), sed numeris fractis sive decimalibus commate scriptis, quamvis respondeant numero particularum nuclearium elementi?

**Responsio:** Massae atomicae indicantur secundum proportionem isotopiorum, quae elemento insunt in naturâ invento. Exempli gratiâ chlorum (Cl) naturale continet 75,77% (septuaginta quinque – virgula – septem - septem) partes centesimas isotopii, quod dicitur chlorum tricenarium quinarium, quia habet triginta quinque particulas nucleares ( $^{35}\text{Cl}$ ), et 24,23% (viginti quattuor – virgula – duae tres)

partes centesimas isotopii, quod dicitur chlorum tricenarium septenarium, quia habet triginta septem particulas nucleares ( $^{37}\text{Cl}$ ).

12. Aer atmosphaericus continet 78% nitrogenii ( $\text{N}_2$ ) et 21% oxygenii ( $\text{O}_2$ ) et 0,96% gasorum nobilium et 0,04% carbonei dioxydati ( $\text{CO}_2$ ). Finge animo in conclavi huius bibliothecae Humboldtianae inesse 10.000 (decem milia) moleculas aeris atmosphaerici.

a) Si ita esset, quot moleculae earum essent moleculae carbonei dioxydati?

b) Portio carbonei dioxydati, quae inest aeri atmosphaerici, ante aetatem industrializationis (circiter centum quinquaginta annis ante) indicatur fuisse portio 0,03%. Finge bibliothecam nostram ante 150 annos completam esse 10.000 molecularum aeris atmosphaerici. Quot moleculae carbonei dioxydati ei infuissent?

**FELIX QUI POTUIT RERUM COGNOSCERE CAUSAS!**

## FABELLA GRIMMIANA

107.

### De cornicibus



Quidam miles probus aliquantum pecuniae meruerat et parcendo collegerat, quia sedulus erat neque, ut ceteri, in cauponis stipendium profundebat. Duo autem commilitones quondam eius, qui animis erant dolosis eumque fraudulenter pecuniâ privare cupiverunt, sed simulaverunt se eius amicos esse. Aliquando ei dixerunt: »Audi, quid maneamus hîc in urbe tamquam captivi inclusi? Talis qualis tu es, domi bellulam mercedem additiciam si merueris, postea iucundê vivere poteris.« Talibus verbis dicendis eum tam diu urgebant, ut denique assentiens cum illis abire vellet; alii autem nihil in animo habuerunt nisi sodali foris pecuniam auferre. Aliquantulum cum iter fecissent, duo illi: »Necesse est ibi dextrorsum eamus, ut limitem adveniamus.« Tum miles probus: »Quod« inquit, »Deus avertat, ibi via nos referret ipsam in urbem, necesse est eamus sinistrorsum.« Tum illi clamaverunt: »Quid, tu audes nobis contradicere?« et invecti tam diu eum mulcaverunt, usque dum collaberetur, et pecuniam ex eius sacculis exemerunt; sed hoc istis nondum satis fuit mali, qui cultro

oculos effoderunt socii sui, eundem ad patibulum traxerunt, eiusque ligno alligaverunt. Deinde eo relicto cum pecuniâ raptâ in urbem reverterunt.



Vir caecus miserrimus nescivit, loco quam malo esset, circumiecta digitis attingens sensit se sedere sub trabe lignea. Tum credens sibi superpositam esse crucem: »Hoc« inquit »saltim bene fecerunt, quod me alligaverunt cruci, ut Deus mihi adesset« et coepit Deum orare. Nocte adveniente audivit sonum plausitandi<sup>1</sup>. Quem ediderant tres cornices in trabe desessurae. Tum vir audivit unam cornicem dicentem: »Heus soror, quid boni affertis? O si homines scirent id quod nos scimus! Filia rēgis aegrota est, et rex vetus eandem promisit illi viro, a quo sanaretur; sed hoc nemo scit facere, nam ea non reconvalescet, nisi cinerem biberit bufonis, qui habitat in stagno illo.« Tum cornix altera: »O si homines scirent id quod nos scimus! Hodiernâ nocte ros decidet e caelo, qui est tam mirabilis tamque salubris, ut, si quis est caecus, hōc rore oculis óblito visum recuperet suum<sup>2</sup>.« Tum etiam cornix tertia: »O si homines scirent id quod nos scimus! Bufo combustus in cinerem redactus nemini proderit nisi uni, ros proderit tantummodo paucis, sed urbs est in magnis angustiis, in eâdem omnes putei sunt sicci, et nemo scit magnum lapidem quadrangularem in mercatu positum esse amovendum, et sub eodem humum esse excavandam, quia ibi scaturit aqua bellissima.«

<sup>1</sup> **plausitō**, -āre: flattern; cfr Georges, Ausführliches Handwörterbuch Lateinisch-Deutsch, tom.II, col.1734, s.v.: „plausito, -are (plaudo), klatschen (mit den Flügeln), ANTHOL.LAT. 762,21 (233, 21).“

<sup>2</sup> **visum recuperāre**: cfr Joannes Langius, Epistolarum medicinalium volumen tripertitum, Hanoviae 1605, p.928: „...nec pater ipse (potuisset) **visum recuperare**, nisi felle piscis caligantes oculos inunxisset oculos.“



His dictis vir caecus audivit cornices avolare plausitantes.



Vinculis paulatim solutis vir caecus dorso deflexo nonnulla graminula<sup>1</sup> decerpsit et oculos suos oblevit rore, qui in eadem deciderat. Mox vir visu recuperato vidit lunam stellasque in caelo positas necnon vidit se stare iuxta patibulum. Deinde testulis vasorum quaesitis tantum collegit roris pretiosi, quantum potuit, et hōc facto ad stagnum iit, aquam fodiendo a stagno removit, bufonem exemit eumque combussit, ut ad cinerem redigeretur. Cinerem secum attulit ad aulam rēgis, et curavit, ut filia rēgis eundem aquā solutum biberet, et cum puella reconvaluisset, miles eandem petivit in matrimonium ducendam, ut erat promissum. At vir rēgi displicuit, quia gerebat vestimenta detrita; itaque rex dixit, qui filiam suam habere vellet, ei primum curandum esse, ut urbs acciperet aquam; rex enim speravit se hōc modo liberatum iri a molesto petitore nuptiarum. Vir autem huc iit, iussit homines amovere lapidem quadrangularem in mercatu positum et ibidem fodiendo aquam quaerere. Illi vix coeperant fodere, iam attigerunt fontem bellissimum, e quo aqua prosiluit. Nunc autem

<sup>1</sup> \***grāminulum**, -i n. cfr Georg Henisch, Teutsche Sprach und Weißheit, Thesaurus Linguae et Sapientiae Germanicae, Augustae Vindelicorum 1616, col.1726: “Gresich, Greßle, Gräsle **graminulum**”.

rex non iam potuit filiam renegare, connubio cum eâdem est coniunctus, et ambo unâ vixerunt iucundissimê.

Aliquando cum per campum ambularet, incidit in socios quondam suos, a quibus tractatus erat fide pessimâ. Illi eum non cognoverunt, sed is statim cognovit illos, accessit et: »Videte« inquit, »hic est socius quondam vester, cui tam turpissimê oculos effodistis, sed Deus carus curavit, ut mihi istaec res evaderet feliciter.« Tum illi ad pedes eius se prostraverunt veniamque ab eo petiverunt; is autem anima candida cum esset, illos misericordiae plenus secum in castellum abduxit, cibis saturavit vestimentisque induit. Deinde sociis suis narravit, quid sibi factum esset et quomodo ipse honorem adeptus esset. His auditis duo socii valdê commoti statuerunt, ut ipsi nocte sederent sub patibulo sciscitantes, num quid accepturi essent bonum atque utile. Sub patibulo cum sederent, mox super capitibus eorum aliquid plausitatum est, et tres cornices illae advenerunt. Una autem alteri dixit: »Audite, sorores, certum est aliquem sermonem nostrum aucupasse, nam filia rēgis est sana, bufo e stagno ablatu est, caecus quidam vir factus est videndi compos, et in urbe fodiendo invenerunt novum puteum, venite, quaeramus sermonis aucupatorem, fortasse istum inveniemus«. Tum plausitantes devolaverunt, ambos furciferos invenerunt, sine morâ iam iam insederunt capitibus virorum, qui obstupefacti sederunt defendendi inhabiles, iisdemque oculos effoderunt, nec desiverunt facies improborum effodere rostris acutissimis, dum illi iacerent prostrati mortuissimi<sup>1</sup>.

**FINIS**

**GRIMMIANAM FABULAM  
TRIUM CORNICUM  
E THEODISCO  
IN SERMONEM LATINUM  
CONVERTIT  
LEO LATINUS**

---

<sup>1</sup> Superlativus huius verbi saepius invenitur in litteris Latinis, e.g. cfr Angelin Gazet, PIA HILARIA, Antverpiae 1629, p.131: „O mi anime, pergite illa, redditus vitae/ qui modo fuisti **mortuissimus** purum/ putum cadaver moxque moxque humo dandum? ---

# **HUMBOLDTIANA SEMINARIA INTERRETIALIA**

- 1. COLLOQUIUM LATINUM**
- 2. CURSUS LINGUAE SANSCRITAE**
- 3. LECTIO CHARACTERUM THEOPHRASTI**

**HAEC SEMINARIA INTERRETIALIA  
HOC SEMESTRI AESTIVO  
MODERABITUR  
DR. NIKOLAUS GROSS.**

**QUAE FIENT SUB AEGIDE CENTRI  
STUDIORUM HUMBOLDTIANI  
(Humboldt Studienzentrum).  
QUOD INSTITUTUM SPECTAT  
AD UNIVERSITATEM STUDIORUM ULMENSEM  
(Universität Ulm).**

**CENTRI HUMBOLDTIANI DIRECTRIX EST  
PROF. RENATE BREUNINGER.**

**Nomen dari participando poterit mense Aprili aut telephonicè aut  
interretialiter. Observa situm interretialem Centri Studiorum  
Humboldtiani, qui est hic qui sequitur:**

**<https://www.uni-ulm.de/einrichtungen/humboldt/lehrveranstaltungen/lehrveranstaltungen/>**

**Universität Ulm Humboldt-Studienzentrum Albert-Einstein-Allee 5, 89081 Ulm**

**E-Mail: [bettina.meyer-quintus@uni-ulm.de](mailto:bettina.meyer-quintus@uni-ulm.de) - Tel.: [+49\(0\)731/50-23460](tel:+4907315023460)**

**HUMBOLDT-STUDIENZENTRUM - Sommersemester 2021**  
**CENTRUM STUDIORUM HUMBOLDTIANUM – Semestre Aestivum a.2021**

**COLLOQUIUM LATINUM**  
**Quomodo Latinê loquamur de rebus modernis.**

**Exercitium interretiale Centri Studiorum Humboldtianum**

**Quod linguâ Latinâ loquens moderabitur Dr.Nikolaus Groß**

„Colloquium Latinum – quonam modo hoc fieri potest? Latinê loqui de rebus modernis?“

Certê hoc fiet! Sed primo oportet errorem corrigamus: Latinitas non est emortua, eadem omnino numquam mortua fuit! Nam ex quo interiit Imperium Romanum, nullus umquam dies fuit, quin ulli homines cogitarent, scriberent, loquerentur linguâ Latinâ.

Multa sunt fora interretialia et circuli colloquiorum, internationales cursûs feriales, seminaria, conventûs, in quibus homines variarum nationum nullâ aliâ linguâ nisi Latinâ loquentes optimê inter se intellegant.

Esne nunc curiosus? Didicistine linguam Latinam in scholâ aut in universitate studiorum, sed numquam eâdem locutus es? Si ita est, te medullitus invito ad COLLOQUIUM LATINUM Centri Studiorum Humboldtiani participandum.

Ut „sermone Europae patrio“ loquens gaudium percipias quam mirificentissimum, medullitus tibi exoptat

**Dr. Nikolaus Groß**

**Dies Colloquii Latini:**

**dies Martis, h.16.30-18:00**

**HUMBOLDT-STUDIENZENTRUM - Sommersemester 2021**  
**SANSKRIT für Anfänger und Fortgeschrittene**  
 Cursus linguae sanscritae tironibus et progressis destinatus  
 Exercitium interretiale Centri Studiorum Humboldtianum  
 Quod linguâ theodiscâ loquens moderabitur Dr.Nikolaus Groß

*Carae Humboldtianae, cari Humboldtiani,*

omnis homo, qui umquam coepit accuratius discere linguam sanscritam, animadvertit inde ex eo tempore se deditum esse atque obnoxium fructui mentis illecebroso, a quo tam aegrê abstinebit quam illi comites Ulixis Homerici a fructu Lotophagorum. Eidem enim postea vix umquam id continget, ut prorsus defugiat hunc sermonem mirabilem animo inflammato colendum, quod sit instrumentum rationis logicae et meditationis et analysis phoneticae et grammaticae necnon philosophicae.

Alumnae alumnove Humboldtiano procul dubio est officium aliquando se dedere studiis sanscriticis: Nam îdem oportet sciat Vilelmum ab Humboldt Londini Francisco Bopp docente per paucos menses linguam palaeoindicam tantâ cum animi intentione et inflammatione et subtilitate didicisse, ut intellexeret carmen Indorum omnium illustrissimum et maximê philosophicum, quod inscribitur „Bhagavadgîta”, et sentiret idem esse omnium operum generis humani philosophicorum pulcherrimum atque animos commoventissimum.

Utemur libro didactico a Thomâ Lehmann methodo splendidissimâ scripto: <http://www.rzuser.uni-heidelberg.de/~d53/sansvok.pdf>

Hôc in cursu sermonis sanscriti didactico et tirones et progressi ratione parallelâ instituuntur. Quod facere iam semestri hiemali nobis successit feliciter. Ceterum tibi maximê commendo libellum grammaticum Manfredi Mayrhofer, c.t. Sanskritgrammatik.

Omnis particeps versus finem semestris clausurâ superatâ accipiet testimonium Humboldtianum. Ut unam ex generis humani linguis excultis maximi momenti pernoscens gaudium percipias vel maximum tibi medullitus exoptat

**Dr. Nikolaus Groß**

**Dies docendi:**

**dies Martis, h.18.00-19:30**

## HUMBOLDT-STUDIENZENTRUM - Sommersemester 2021

### Altgriechische Lektüre: THEOPHRAST, Charaktere

Lectio palaeograeca: THEOPHRASTI Characteres

Exercitium interretiale Centri Studiorum Humboldtianum

Quod linguâ theodiscâ loquens moderabitur Dr.Nikolaus Groß

A.322 a.Chr.n. Aristotele mortuo Theophrastus Eresius eius discipulus atque amicus successit rector Peripati scholae philosophorum. Īdem vir doctus ferebatur esse magister excellens industriâ et acumine mentis et elocutione splendidâ insignissimus. Theophrastus dicitur scripsisse plus ducenta opera, quae ad omnes disciplinas scientiae humanae spectarent. At integra nobis relicta sunt opera eiusdem non nisi duo: opus botanicum, quod ab historicis biologiae praedicatur esse primum huiusmodi ratione logicâ atque systematicâ compositum, et eiusdem philosophi Ἡθικοὶ χαρακτήρες.

»Χαρακτήρ«, i.q. Latinê „character“, primo sensu significat formam, quâ cuduntur monetae et sigilla, sensu secundario etiam id ipsum quod est cūsum. Sensu translato χαρακτήρ fit nota specialis, quâ cognoscitur aut certus homo aut certa res.

Theophrastus in hōc opere peritissimê atque accuratissimê describit triginta characteres hominum – qui omnes sunt aliquatenus scaevi aut inepti, semper ridiculi, quales personae in comoediis tam antiquis quam recentioribus solent inveniri: vir vanus, gloriosus, agrestis, adulator, blatero, parcepromus, eqs. Lectio huius theophrastei „libelli aurei“ (qualis medio aevo appellabatur) est perquam lepida et delectabilis eâdemque seminarii participes semper semperque excitabuntur ad themata psychologiae et historiae civilis et philosophiae consideranda. Itaque omnes amicas amicosve litterarum graecarum medullitus invito, ut participant seminarium nostrum theophrasteum.

**Participes oportet iam noverint sermonis graeci fundamenta semantica et grammatica. Omnis particeps versus finem semestris clausurâ superatâ accipiet testimonium Humboldtianum.**

**Dr. Nikolaus Groß**

**Dies Theophrastea:**

**dies Mercurii, h.18-19.30**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandataelae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedous	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedous	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50



14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	0030 6A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	0050 6A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	0020 7A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,**

**USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM DUODEQUADRAGESIMAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Mercurii  
05. m.Maii a.2021**

**Dr. Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae